



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Art. 4. De scientia naturali Christi, ut hominis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83614)

PROPOSITIO V.

Christus in usu scientiæ supernaturalis, non dependebat à phantasmatibus.

Prob. 1. ex S. Thoma hic q. 11. art. 2. in O. ubi ait: *Christus in statu ante passionem fuit simul viator & comprehensor; & præcipue quidem condiciones viatoris habuit ex parte corporis, in quantum fuit passibilis: condiciones vero comprehensoris maxime habuit ex parte anime intellectivæ. Est autem hac conditio anime comprehensoris, ut nullo modo subdatur suo corpori, aut ab eo dependeat, sed totaliter ei dominetur...* Ex hoc autem anima hominis viatoris indiget ad phantasmata converti, quod est corpori obligata, & quodam modo ei subiecta, & ab eo dependens: & ideo anima beata, & ante resurrectionem & post, intelligere possunt absque conversione ad phantasmata. Et hoc etiam oportet dicere de anima Christi, quæ plene habuit facultatem comprensoris.

Prob. 2. ratione. Quia species scientiæ, de qua agitur, erant per se infusæ, adeoque nullam habebant connexionem cum sensu interno. Ergo Christus uti poterat speciebus illis sine conversione ad phantasmata, hoc est, non representando & percipiendo simul tempore, per sensum internum, idem, vel aliquid affine ei, quod cognoscebat per illas species.

PROPOSITIO VI.

Proprius & connaturalis modus cognoscendi per scientiam supernaturalem, quam habebat Christus, ut homo, erat per simplicem intuitum.

Prob. Quia scientia supernaturalis, quam Christus habebat, ut homo, perfectior erat, quam scientia indita angelorum, ut S. Thomas hic q. 11. art. 4. in Sed contra, probat ex Apostolo, dicente ad Heb. cap. 2. *Eum autem, qui modico quam angeli, minoratus est, videmus Jesum propter passionem mortis gloriæ & honore coronatum: ex quo, inquit S. Doctor, apparet, quod propter solam passionem mortis dicitur Christus ab angelis minoratus: non ergo propter scientiam.* Atqui modus proprius & connaturalis cognoscendi scientiæ inditæ angelorum est per simplicem intuitum. Ergo à fortiori, &c. Hinc anima Christi nunquam usa est, aut uti potuit scientia supernaturali, componendo, vel discurrendo, sed per actus hujus scientiæ, simpliciter intuita est res vel in se, vel in alio, ut medio cognito.

Obj. Christus, ut homo, per hanc scientiam cognoscebat Deum per effectus. R. Cognoscebat, sed absque discursu: uno enim & indivisibiliter actu cognoscebat effectum directè, ac in se, & in effectu Deum indirectè, abtractivè, & tanquam in medio cognito.

Obj. iterum Matth. cap. 17. Christus, cum à Petro quævisset, à quibus Reges terræ acciperent tributum, vel censum, utrum à filiis suis, an ab alienis? Petro respondente, *Ab alienis*, sic conclusit: *Ergo liberi sunt filii. Resp.* Christum usum esse tantum discursu externo, & per modum discursus id explicuisse, quod concipiebat absque discursu: vel dicendum est, Christum tunc usum esse scientiam naturalem.

PROPOSITIO VII.

Christus à primo instanti conceptionis suæ, fuit semper in usu scientiæ supernaturalis.

Prob. Nam potuit esse: hæc enim scientia ad usum suum nullam in ordine exigebat dispositionem, cum à conversione ad phantasmata non dependeret; neque impediri potuit aut somno, aut alia si ve exteriori, si ve interiori occupatione, aut morbo, aut denique defatigatione corporis. Ergo, &c. Præterea, dignitatis Christi omnino congruit, ut à primo instanti conceptionis suæ, semper non solum ut comprehensor, sed etiam ut viator, in usu rationis fuerit.

Quæres, utrum Christus à primo instanti conceptionis suæ semper fuerit in actu adequato hujus scientiæ per se infusæ; ita ut per scientiam hanc Simonnet Theol. Tom. II.

semper cognoverit, quidquid poterat per eam cognoscere.

R. Potuit esse: ad hoc enim nihil ei defuit. 1. enim nihil defuit ex parte objectorum cognoscendorum; cum semper species illorum habuerit. 2. Nihil enim defuit ex parte potentiæ; cum semper habuerit lumen sufficientissimum, & potentiam sufficientissimè completam. Adde, ad hoc nullum fuisse, nec potuisse esse impedimentum ex parte corporis. Quare quod Christus reipsa à primo instanti conceptionis suæ semper fuerit in actu adequato scientiæ per se infusæ, convenientissimè asseri potest.

Dices, attentio ad infinita simul distinctè cognoscenda, debet esse infinita, qualis in Christo esse non potuit. R. attentionem ad infinita simul distinctè cognoscenda infinitam esse debere, si unumquodque cognoscatur per distinctam ac propriam speciem, adeoque si infinita simul distinctè cognoscantur per species numero infinitas: secus verò, si infinita simul distinctè cognoscantur per finitas numero species: ad hoc enim attentio finita sufficit. Ergo Christus per scientiam supernaturalem simul cognoscere potuit omnia hujus scientiæ objecta, si per species numero finitas representari possunt. At possunt per species numero finitas, immò & fortasse per unicam speciem representari. Ergo, &c.

Quæres, utrum in scientia supernaturali, quam Christo, ut homini, attribuimus, præter species intelligibiles, detur habitus per se infusus, elevans & corroborans intellectum ad illius actus?

R. affirmativè. Ratio est, quia virtus activa intellectus de se insufficientis est, & improporcionata ad actus scientiæ supernaturalis, nec ad id sufficienter elevatur, & completur per species intelligibiles: nam illæ species suppleant tantum id, quod ex parte objecti deest, non id, quod deest ex parte potentiæ. Ergo præter species intelligibiles, requiritur habitus infusus, seu virtus intrinseca, inherens & permanens, qua intellectus intrinsecè & permanentè eleveatur, & compleatur ad actus hujus scientiæ.

Porro hic habitus est una simplex qualitas: nam habet se ad modum potentiæ, quæ altioris cujusdam ordinis est, & sub objecto suo complectitur non solum res supernaturales, sed etiam naturales, altiori, quam naturaliter possint, modo cognoscendas. Præterea, hic habitus diversus ac distinctus est à lumine gloriæ: habet enim pro objecto primario res creatas; lumen verò gloriæ Deum ipsum. Habitus autem objecta primaria diversa habentes, sunt habitus inter se distincti ac diversi.

ARTICULUS IV.

De Scientia naturali Christi, ut hominis.

PROPOSITIO I.

Christus, ut homo, etiam in statu viæ, habuit scientiam rerum omnium, quæ naturaliter cognosci possunt ab anima separata.

Prob. Nam Christus, ut homo, etiam in statu viæ, omnem habuit perfectionem, sibi ratione beatitudinis debitam, cujus carentia non fuit necessaria, vel utilis ad opus redemptionis: cum etiam in statu viæ beatitudinem essentialem, sibi ratione unionis hypostaticæ debitam habuerit. Atqui scientia rerum omnium, quæ ab anima separata naturaliter cognosci possunt, Christo debita fuit ratione beatitudinis; nam status beatitudinis illam exigit: unde & est in omnibus animabus beatis. Ergo, &c.

PROPOSITIO II.

Christus, ut homo, naturalem illam scientiam habuit à primo instanti conceptionis suæ, & in usu illius non dependebat à phantasmatibus.

Prob. 1. pars. Quia pertinebat ad dignitatem Christi, ut anima ejus à primo instanti creationis suæ haberet omnem perfectionem, non solum supernaturalem.

naturalem, sed etiam naturalem, quam poterat tunc habere; & cuius carentia nobis nec necessaria, nec utilis fuit. Atqui talis est scientia illa, de qua loquimur: nam 1. carentia ejus nec necessaria, nec utilis fuit ad redemptionem nostram. 2. Species in quibus consistit, nullam in corpore dispositionem prærequirerant. Ergo, &c.

Præterea, videtur negari non posse, quod anima Christi à primo instanti creationis suæ, se ipsam, substantias immateriales, substantias materiales, & accidentia intueri potuerit eo modo, quo naturaliter potest anima separata, ac beata. Atqui intuitio ejusmodi ad scientiam de qua agitur, pertinet. Ergo, &c.

Prob. 2. pars. Quia species, in quibus consistit hæc scientia, licet sit ordinis naturalis, sunt per se infusæ, adeoque nullam cum phantasmatis & sensu interno connexionem habent. Ergo Christus poterat uti hac scientia sine conversione ad phantasmata, seu absque eo quod sensus internus repræsentaret idem, vel aliquid affine ei, quod cognoscebat Christus per hanc scientiam.

Dices. Hæc scientia, quam naturalem dicimus, non differt à scientia, per se infusæ, de qua art. sup. A. neg. Nam scientia per se infusæ, de qua art. sup. actum est, est scientia ordinis supernaturalis, per quam res supernaturales & naturales modo supernaturali cognoscuntur, & est supra animæ humanæ, tam separata, quam conjunctæ conditionem, non solum ratione specierum, sed etiam ratione luminis. At scientia, de qua hic, est scientia ordinis naturalis, connaturalis animæ humanæ, & ad eam animæ humanæ lumen naturale sufficit, & species per se infusæ, in quibus consistit, sunt naturalis ordinis, quales animæ separatae juxta naturalem ejus conditionem infunduntur, quæque proinde planè diversæ sunt à speciebus alterius scientiæ, & eis planè inferiores.

PROPOSITIO III.

Christus, ut homo, habuit modo excellentissimam scientiam rerum omnium, quæ naturaliter acquiri potest componendo, & discurrendo.

Prob. Quia hæc scientia est perfectio maxima, & intellectui humano maximè connaturalis; cujus carentia nec necessaria, nec utilis fuit ad opus redemptionis. Ergo nulla ratio est, cur hæc scientia Christo, ut homini, denegetur. Sed queritur utrum Christo infusa fuerit à Deo à primo instanti conceptionis; an verò Christus illam successu temporis, componendo & discurrendo acquisiverit?

Responder S. Thomas hic q. 12. art. 2. in O. Christum scientiam illam successu temporis acquisivisse, per actionem intellectus agentis, seu per actionem intellectus, species intelligibiles, in quibus habitus scientiarum acquisitos S. Doctor cum schola Peripatetica constituit, extrahentis ex phantasmatis. Ratio S. Doctoris est, ne intellectus agens in Christo, otiosus & inutilis fuerit. Verba ejus sunt: *Quia inconveniens videtur, quod aliqua naturalis actio intelligibilis Christo deesset, cum extrahere species intelligibiles à phantasmatis, sit quadam naturalis actio hominis secundum intellectum agentem; conveniens videtur, hanc etiam actionem in Christo ponere; & ex hoc sequitur, quod in anima Christi aliquis habitus scientiæ fuerit, qui per hujusmodi abstractionem specierum potuerit augmentari; ex hoc scilicet, quod intellectus agens, post primas species intelligibiles abstractas à phantasmatis, poterat etiam alias & alias abstrahere.*

Sed hæc S. Doctoris ratio minimè nunc convincit; illa enim distinctio intellectus in possibilem & agentem, seu in receptivum & expressivum specierum intelligibilium, jam ferè obsoletur, & species illæ intelligibiles à phantasmatis abstractæ, in quibus philosophia vetus ponit habitus scientiarum acquisitos, jam facile rebus inutilibus accensetur; & juxta meliorem philosophandi rationem, habitus scientiarum acquisiti, videntur constituendi in ipsis phantasmatis, quæ vel sunt vestigia quædam cerebri impressa, vel consistunt in certa modificatione fibrarum cerebri.

Itaque cum melius fuisset Christo videatur, nunquam hac, de qua agitur, scientia caruisse, quam ea caruisse aliquo tempore, ut eam successu temporis propriis ac naturalibus viribus acquireret; omnino dicendum videtur, Christum scientias illas omnes, quæ acquisitæ dicuntur, à primo instanti conceptionis suæ, vel certè ante nativitatem accepisse, impressis ejus cerebro phantasmatis, in quibus scientiæ illæ consistunt.

Quod si quis objiciat hæc verba Luc. cap. 2. *Jesus proficiebat sapientia, & etate, & gratia apud Deum & homines*; responderi potest, 1. illa pertinere ad scientiam experimentalem, quam Christus successivè acquisivit, & de qua modò. 2. Responderi potest, id quod dicit ipse S. Thomas art. citato in O. *Duplex, inquit, est profectus scientiæ, unus quidem secundum essentiam, prout scilicet ipse habitus scientiæ augetur; alius autem secundum effectum; puta si aliquis secundum eundem & æqualem scientiæ habitum, primo minora aliis demonstraret, & postea majora & subtiliora. Hoc autem secundo modo manifestum est, quod Christus in scientia & gratia profecit, sicut & in etate: quia scilicet, secundum augmentum ætatis, opera majora faciebat, quæ scilicet majorem scientiam & gratiam demonstrabant.*

PROPOSITIO IV.

Christus, ut homo, non habuit à primo instanti conceptionis scientiam humanam experimentalem, sed eam successu temporis acquisivit.

Prob. Quia hæc scientia fundatur in experimento sensuum, Sed Christus, ut homo, multa sensibus successu temporis expertus est; nam successu temporis multa vidit, audivit, &c. quæ antea non viderat, non audiverat, &c. Ad quod pertinet illud Heb. c. 5. *Didicit ex iis, quæ passus est, obedientiam*; hoc est, proprio experimento didicit, quam arduum esset exercitium obedientiæ. Ergo, &c.

Præterea, scientia experimentalis est essentialiter cognitio rerum sensibus perceptarum, & quæ perceptarum, hoc est, rerum sensibus antea perceptarum simul & ipsius perceptionis præterita. Ergo consistit essentialiter in speciebus relictis ex perceptione sensuum præterita; adeoque sensuum perceptionem, antea factam, supponit essentialiter. Ergo Christus non potuit eam à primo instanti conceptionis habere, sed ad eam acquirendam Christo opus fuit successu temporis. Christus igitur in ea scientia successivè profecit, ac propterea dictum videtur Luc. cap. 2. *Jesus proficiebat sapientia; & etate, &c.*

DISPUTATIO IX.

De Voluntate Christi, ut hominis.

ARTICULUS I.

Utrum Christus, ut homo, habuerit actum volendi.

RESPONSIO.

IN Christo, præter actum volendi divinum, fuit etiam actus volendi humanus.

Est de fide, contra Monothelitas, & probatur 1. ex Scriptura. Nam Christus ait Matth. cap. 26. *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste: verumtamen, non sicut ego volo, sed sicut tu.* Et Luc. cap. 22. *Non mea voluntas, sed tua fiat.* Et Joan. cap. 5. *Non quero voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me.* Quibus locis Christus duplicem asserit voluntatem, seu actum volendi: unum, quem vocat suum, quia est actus volendi humanus, ipsi proprius, utpote elicitus ab humanitate assumpta, quæ illius, non verò Patris, aut Spiritus sancti, natura est; & alterum, quem vocat actum volendi Patris, quia est actus volendi divinus, communis tribus personis, utpote virtualiter elicitus à natura divina, quæ trium personarum